

4. Supernalis est vel *œconomica*, ab œconomiâ officiorum in Ecclesiâ sic dicta, ad quam spectant omnia *χαρίσματα* ordinata ad Ecclesiæ ædificationem. (NB. describitur hæc, 1. Petr. IV, 10. 1. Cor. XII, 28. seq.) vel *strictè*, *Evangelica* dicta gratia, estque actus aliquis DEI.

5. Evangelica vel *activa* vel *passiva* dicitur. Prior, prout est à DEO scilicet & terminatur ad nos. Posterior est orta è priori, uti lumen oritur à luce, uti rivuli oriuntur è fonte.

6. Gratia non ratione *originis*, sed *sui termini* consideratur.

## II. Est actus misericordiæ divinæ.

1. Uti iustitia DEI revelatur in lege, ita misericordia in Evangelio, hinc *Evangelica* dicitur.

2. Misericordia DEI dicitur, ut indicetur agi hoc loco de *gratiâ medicinali*.

3. Misericordia dicitur, non quod per eandem miserum cor DEI reddatur, sed quatenus DEO miseria alterius cordi est, & tribuitur DEO *ἀνθρώπων ὡσαύτως*.

4. *Actus* dicitur, ut indicetur non considerari gratiam, prout cum misericordia idem est, ac essentialia DEI attributum dicitur, sed prout notat peculiarem misericordiæ actum.

5. Consideratur non *κατ' ἑσῶ*, sed *ἔξω* gratia.

6. *Actus* vocabulum non notat tantum externum effectum extra DEUM, sed includit internum adfectum in DEO. Quando quis plenè indolem gratiæ vult exponere, ad utrumque respicere debet.

7. *Actus* dicitur, ut indicetur, non cogitandum, gratiam esse infusum habitum.

8. Distinguendum inter *χάρις* & *χαρίσματα*. Aliquando hæc ut synonyma ponuntur, sed prior est proprius actus DEI; posterius notet habituale aliquod donum. Imò ne fidem ipsam *χάρις* dicimus.

Quando fides verò dicitur gratia est appellatio figurata, quatenus fides est effectus gratiofus & donum gratiæ.

9. *Actus*, non ut dicatur *simplex*, sed ratione objectorum *multiplex*. Ipsa DEI misericordia est in se unica; in exercitio si spectatur, sunt ab unicâ misericordiâ multiplices effectus.

10. *Actus* ille non est semper *unius*, sed *diversorum ordinum*, unde gratia generalis & specialis dicitur.

III. Quo